

## De Sabinis

### De originibus

Millennio secundo a.Ch.n., in media Italia paeninsula terrae ferae, iniquae erant terrae motibus obiectae, qui, Pleistocene extremo, dederant originem toti regioni quae mari magno tegebatur.

Illas terras habitabant aliquot gentes macilentae et incultae, venatores et fructuum edaces, originis incertae, quae verum suam linguam et suos mores elaboraverant ita ut pervenirent circa millennium primum a.Ch.n., ad dignitatem summam, populum constituentes qui “natio” factus est, promptus ad partes habendas praecipuas in Roma condenda: ei erat nomen Umbri Sabelli aut Sabini.

Illorum remotorum temporum caeli status studium veram facit coniecturam antiquum populum Sabinum circa montem Fiscellum (Magnum Saxum) floruisse inter sex milia et tria milia annorum ante aevum nostrum cum factum est in tota media paeninsula caelum “optimum” cum conspicuo incremento eorum quae e terra gignuntur et vitae facultatis pro angustis globis antiquissimae aetatis hominum qui eam habitabant.

Saeculis posteris caeli deterior condicio causa fuit magnarum migrationum variarum tribuum meliores caeli condiciones petentium.

Antiqui Sabini quoque in longa migratione primas partes egerunt quae e medio Appennino eos duxit ad agros occupandos commodiores vitae condiciones praebentes.

Ultima fama, documentis ad antiquarum rerum studium pertinentibus confirmata, in referendo convenit illas gentes occupare maluisse regiones in quibus essent lacus et paludes silvis cincta.

Inter antiquiores mores qui hoc populum designant funebris cultus numeratur. Post veterius et dubium cremationis usum, Latino more, circa IX saeculum, cadavera coepta sunt humari. Haec gentes, consociatae eadem lingua, osca, umbra, sabina, pervenerant ad summam dignitatem quam inscriptionum monumenta confirmant, tempore antiquo.

Quod ad veteriora tempora pertinet, de deorum cultu minime fere scitur, instrumentis funebribus absentibus in raris sepulturis.

Dubia est verborum antiquissima origo de Safinis aut, latine, Sabinis. Putatur verbum originem ducere ex etymo SAF- aut SAFIO-, latine SABH- quae generaliter populum finitimum inter septemtriones et orientem spectantem urbi Romae inter flumina Tiberim et Anienem indicabat.

Non probanda est fama, Catone auctore, Sabinos originem duxisse a Sabho aut Sabino, Patre Sabino fabulosae traditionis, Sanci filio de Amiterno, aut, ut alii tradunt, filio Lacaedemonis herois

Sanci, post, apud Reate culto nomine Iove Pistio. Contra, Varro affirmat Sabinorum nomen originem ducere a graeco verbo “σέβεσθαι” quod “venerari”, “honorare” valet.

Festus autem adfirmat Sabinos sic appellatos esse quod gens eorum multos deos veneratur, contra alii, Sabinos sic appellatos, pietate sua. Ab his sententiis efficitur certe ut Sabinus nomen Romanis revocaverit religioni et morum severitati iunctam notionem, aperte a Plinio Secundo Seniore adfirmatam qui tali modo eloquitur: “*Sabini, ut quidam existimavere, a religione et deum cultu Sebini appellati, Velinos accolunt lacus, roscidis collibus*”.

## **De Vere Sacro**

Tempore praeterito, Sabini ad occupandas collinas regionesque in dorso montis porrectas pervenerunt circum latum Lacum vallem Reatinam replentem e quo collina eminebat eorum sedes veterrima. Postea cum istae sedes non satis idoneae factae sunt incolarum incremento et sollicitudine ad novas terras conquirendas, febris ardens migrationis impulit, ut maiores eorum, amplius aliquot iuvenes temporibus certis natos ad relinquendam tutelam firmam multitudinis ut constituerent civitates novas. Ab aspribus Apennini montibus, vetus patria sua, Sabini in magnam ultimae Italiae partem diffusi sunt, colentes, ex proprio more Ver Sacrum, id est sacra migratio quae a remotissimo Vaticinio edito iussa erat. Veris Sacri cultus ab aeterno eos ad locum, Fato iis adsignatum, disiunctum magno temporis intervallo impellebat, sed post eorum sedem constitutam, in lacus rivis, cui montes circumfunduntur, in quo fluctuebatur insula. Ut ista antiqua fama est, ineunte vere, aliquot iuvenes, inter Kalendas Martias et pridie Kalendas Maias nati, securitatem suae gentis relinquebant et in tutela sacri animalis agrestis memoriae ut picus, lupus, aper, migrabant ad nova fata Veris Sacri cultu, in tutela antiquissimae suae divinitatis: Martis, bellicosi dei, hominum vitae tutoris et ducis et tutelae nascentis civitatis. Qua re Mars Romanorum vitae factus est particeps et de fabulosa Reae Silviae, Romuli et Remi matris, seminatione et de tribus antiquissimis diis (Iuppiter, Mars, Quirinus), documentum magni momenti Sabinae gentis Romae antiquissimis temporibus. Ergo Ver Sacrum effecit ut Sab-nites, Romanis Samnites, occuparent, vertente millennio secundo a.Ch.n., valles Sangri, Tiferni, Vulturni, in Campania hodierna. Ad inferiorem meridianam regionem, pervenerunt Hirpini, duce animali symbolico Lupo, qui a Sabinis Hirpus appellatur; Bruttii qui extremam paeninsulam, olim graecam coloniam, occupaverunt; Marsi, deo Marti dicati, qui Fucinum occupaverunt; eorum accolae Peligni et alii populi minores. Cum haec itinera percurrerent Sabini a suis finibus descenderunt et ad septem colles pervenerunt e palude eminentes. Satis constat, dum Romuli urbs conditur, Sabinos in Quirinale et Capitolio constituisse,

supra Tiberis sinistram ripam nondum collibus a Traiani sectione ad eius Forum construendum desiunctis. Sic ab origine, Tibur et Anien confluentes fines terminosque constituebant inter Sabinos et Latinos, Aternus et Truentus eos disiungebant a Picenis, Equis, Vestinisque, contra Nar ab Umbris. De huius agri amplitudine, fama nobis pervenit de paucis “urbibus” quod Sabini ex more suo, vivebant “vicatim”, id est in parvis parvissimisque coagmentationibus et saepe in domibus singulis per agros diffusis. Repertae sunt reliquiae casarum non longiquae a fontibus aut aquarum copia structae primo millennio a.Ch.n. incipiente.

Varro refert, per Dionisyum, antiquarum urbium Sabinorum nomina: Palatium, Trebula, Vesbula, Templum, Orvinium, Vatia, Thiora, quae dicitur Matiena, Lista, Aborigenum caput, quod Sabini occupaverunt temporibus antiquis; tandem, stadiis LXX Reate, Cutilia, patria iis Fato destinata.

### **De Cutilia**

Apud Plinium Secundum Seniorelem legitur: *“In agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuetur insula, Italiae umbilicum esse M. Varro tradit.”* Cutilia igitur fuit patria ultima sabiniae gentis. Insula fluctuans in laco significabat certe Sabinos ad Fati locum pervenisse qui in gratia divinitatis erat. Huic loco maximam potestatem Varro et cum eo Sabini tribuebant; ille eum Italiae Umbilicum descripsit et verisimile est Varronem Sabinorum Patriam honorare voluisse cum eam aliis duobus claris “Umbilicis” compararet: “Umbilico Terrarum”, id est Delphico et “Umbilico Maris”, id est Ogigiae Calypsi insulae. Praeterea non negandum est aliquid maioris et honestioris Sabinum Varronem Cutiliam significavisse si quis considerat verbi graecam originem: “κοτυληδών” id est “Veneris umbilicus”.

Sabini igitur usque ad aniensem vallem progressi sunt et sedem constituerunt in nonnullis collibus e lata palude eminentibus apud illum vadum Tiberis ubi Roma oritura erat. Proditum est Sabinos et regem suum Titum Tatium, Romuli temporibus, Quirinalem et Arcem, id est Capitolium summum et naturaliter munitum, occupavisse et ex pacto, inter Titum Tatium et Romulum, “Geminatam Urbem”, sabinam latinamque, orituram esse. Satis constat secundum totius itineris fluminis sinistram ripam non longe ab antiqua Salis Via, frequentem esse vicis Sabinorum apud vada conventorum. Inter quos, praeter Capenam, quam Sabini firme occupaverunt, singulare momentum assumpsit Antemnae, parva urbs, magni florens fluvialibus negotiis, Romae proxima ad Tiberis et Anienis confluentes; non longe, Fidenae et Crustumerium quod fama est patriam aliquarum Sabinarum participum mytici raptus fuisse; Eretum, hic Monsrotundus, VIII saec.a.Ch.n. ortum, usque ad fatalem occasum, clade accepta Tarquinii Superbi romano exercitu, VI saeculo exeunte. Igitur Ficulea quae pristinum nomen Ficulensis in Nomentanam mutabit cum eam obscurabit

Nomentum a Tarquinio Prisco subactum et iterum a Romanis defectum usque ad ultimam expugnationem ad lacum Regillum,(CCCCLXLIX a.Ch.n.).

De Cenina, Medullo et Tellina, praeter nomen, paucum scitur. Paulo ultra erit Cures urbs maxima et ditissima Sabinorum, patria Titi Tatii, Numae Pompilii legum auctoris, Anci Marci nepotis. Ex hac urbe nominabuntur postea et Romulus cum, sublime raptus, Quirinus factus est, et Romani qui omnes perpetuo appellabuntur Quirites. De Curibus narratur sui conditoris Modii Fabidii fabula a Dyonisio tradita, qui affirmat reatinum Modium, temporibus urbis ab Aboriginibus occupatae, natum esse e sacro coniugio inter nobilem virginem et deum aliquem. Dicitur hoc factum esse dum virgo canit et saltat cum aliis virginibus in Euryalo templo quem Sabini Quirinum appellabant. E connubio natus est puer eximia forma qui ineunte aetate distulit specie et animo. Adulta aetate, Modius condere voluit urbem quae, magno hominum numero coacto, Cures appellata est a nomine sabino curis. Horum pagorum fama confirmata est quod Ancus Martius, quartus septem regum, Numae nepos, natus est Curibus. Qua re maxime Sabini se iunxerant cum Roma urbe.

### **De scriptura, lingua, originibus**

Multo antequam Roma caput mundi fieret et Latinum lingua sua, Sabini linguam et scripturam propriam elaboraverant dissimillimam illius cultus Etruscorum. Multae inscriptiones inventae in lata area occupata ab his novis cultibus praebent scripturam iam diu affirmatam quae ad maturitatem pervenerat saeculis V et IV a.Ch.n. eadem aetate qua in ultima Italia diffundebatur prima litterarum signa a Graecia allata fere eiusdem aetatis cultus Etruscorum. Documenta huius linguae sunt aliquae lapideae inscriptiones ut Lapis Niger, Dueni Vasus, Fratrum Arvalium Carmen. Certe Sabina est inscripio quae decorat Fori Cippum cognitum ut Lapis Niger. Inscriptio exsecrationem refert contra quemcumque ei damnum attulisset: *Quoid sakros esed sacer erit*, id est Latine, *qui hunc lapidem violaverit sacer erit*. Dueni Vasus contra refert antiquissimam inscriptionem sabinam hortantem ad bene utendum vasum ut sibi gratia virginis concilietur: *Jovi sat divos quoi med mitat*, id est *Jovi Saturno deis qui me mittat*. Tandem non obliviscendum est simulacrum quod nominatur Bellator Capestranensis in quo est Sabina inscriptio: *“ma kupri koram oésùt Aninis Rakinevii Pomp...”*, id est, *me pulchram statuam Aninis iussit faciendam Rakinieve Pompio*.

Gravior est quaestio de originibus populi Sabini, etiam quod saepe antiqui scriptores, ut nobilitarent origines antiquissimorum populorum, fingebant genealogias cum deis et heroibus fabulosis. De Sabinorum adventu existimatur eos pervenisse a regionibus trans mare per itinera non semper inter se concurrentia; alii putant eos ortos ab illis populis linguae et stirpis indoeuropaeae, Ariis et

Anariis, qui a fabulosa Ariana pervenerunt ad litora in orientem versa maris Hadriatici et per sequentes migrationes ad fines regionis inter septentriones et orientem spectantis Paeninsulae Italicae usque ad nostras terras; alii putant iter ad meridiem tulisse Arios per Haemos montes usque ad meridiana litora Maris Nostri inde eos Siciliam et ultimam Italiam occupavisse; postea petentes medias regiones. Romani scriptores de eadem quaestione fecerunt iudicia inter se dissimillima: Servius putabat Sabinos descendisse a Lacaedaemoniis, contra Dionysius Halicarnassaeus et Plinius, Zenodoto auctore, eos putabant Ombros pulsos ab incursione Pelagica ad intimam et ultimam Italiam. Varro existimabat Gentem Sabinam indigenam, semper praesentem in finibus Sabinae in quibus nata erat originem ducentem ab antiquissimis incolis, ab Aboriginibus illis qui venerant “Ex agro reatino”. Quoquo modo se res habeat, Sabini, sive aborigines erant sive pervenerant per Thirrenicum mare ut Arcades aut Troiani aut ab Hadriatico mari ut Pelasgi, Vergilio et Varrone auctoribus, in hoc loco sedem ac domicilium constituerunt suum cultum perficientes.

### **De Sabinis et Sacro**

Ut Plinius Secundus refert: “*Sabini, ut quidam existimavere, a religione et deum cultu Sabini appellati*”, omnis aspectus Sabinorum vitae sacro permeatur; circum lacum sacrum Cutiliae et inter Avens-Velinum et Reate, “*Umbilicum*” Gentis Sabinae, commemorantur luci ut Nemora, dicati indigenae deae, Vacunae, quam Varro iudicabit esse Victoriam ipsam romanam. Erat dea incerta specie “sub incerta specie formata” (Porfirio aut Varrone auctoribus) a Sabinis culta ab antiquissimis temporibus. Ovidius ipse deam describit in libro VI de Fastibus:

Ante focos olim scamnis considerare longis  
mos erat, et mensae credere adesse deos;  
nunc quoque, cum fiunt antiquae sacra Vacunae,  
ante Vacunales stantque sedentque focos.

De ipsius deae cultu ad nos pervenerunt aliquae iscriptiones apud Podium Filiorum Hugonis. In votiva ara pro reditu militis Lucii Acesti ex Africa dicata ab Aredia Daphne, fortasse muliere an matre reducis et a Caio Pomponio:

**PRO REDITU L.ACESTI EX AFRIC  
VOVI VACUNAE AREDIA DAPH  
ET C. POMPONII  
V S L M**

*Pro reditu L. Acesti ex Afric(a) / vovi Vacunae; Aredia Daph[ne] / et C. Pomponius / v(otum)  
s(olverunt) l(ibentes) m(erito)*

In alia votiva ara dicata a Pesuvio aut Vesuvio pro patris valetudine:

**ESUVIUS  
MODESTUS VACUN  
RO VALETUDINE PATR  
V S**

*[- P vel V]esuvius / Modestus Vacun[ae], / [p]ro valetudine patr[is] / v(otum) s(olvit).*

Aliae inscriptiones indicant loca ad cultum deae dicata ut demonstrant nomina urbium Vacuini aut Vaconae.

Apud Trebulam Mutuescam pervenit inscriptio deae anguis dicata: Angitia.

**ANGITIAE SACR P CALESTRO AGR**

*[A]ngitiae sacr(um) P. Calestro Agr[- - -]*

Angitia dea erat Marsorum ad morbo curationem adhibendam vocata sicut Feronia, utraque custos agrorum et fertilitatis; Lucus suus erat apud dexteram ripam Tiberis quo concurrunt fines Sabinorum, Tuscorum, Latinorum Faliscorumque; ibi mercatores et qui in deos pii erant secure vivere poterant.

Alius deus remotissimus nomine proprie sabino, erat Sancus aut Semo, Sancus latine, sponsor iuris iurandum.

Postremo Mars qui ut supra diximus attinet ad Ver Sacrum: antiquus agrestis deus vocabatur ad defendendos agros et dux et defensor iuvenum sabinorum in migrationibus sacris factus est.

## De Sabinarum raptu

Una cum Sanco, Vacuna et Marte, alius Sabinus deus intraverat in Romae Olympum: Quirinus. Deus agrestis maximae auctoritatis romanis antiquis qui eum inseruerant in tres priscos deos: (Iuppiter, Mars, Quirinus). Fama eum iudicat Romulum ipsum esse qui, caelo receptus cum curru suo, id nomen sumpsit quo in saecula fore ut Quirites appellarentur cives Urbis. Quirites nominabantur incolae Curium, proximae urbis sabinae apud Tiberim in colle Sancuali qui hac causa nomen mutavit in Quirinalem. Eo tempore quo Roma condita est Capitolium cum Quirinale iungebatur per iugum quod patebat in longitudinem inter D et DC pedes, in latitudinem circiter C pedes. Duo culmina appellabantur romana aetate Arx et Capitolium. Arx in potestate coloniae sabinae erat adeo ut in hoc colle aedificatum sit antiquissimum templum Romae. Alterum cacumen occupabatur a profugis sodaliciorum latinorum proximorum, inter quae mares superiores erant, contra, Arx habitabatur a consuetis familiis sabinis, qua re inter duo sodalicia orta sunt vincula amicitiae inter iuvenes duorum populorum e quibus multi decreverunt nuptias inire ut mos ferebat tempore illo. Quam ob rem, aetate nostra, testibus historiarum scriptoribus, antiquitatis antiquissimorumque gentium studiosis, pro certo habemus "Raptum" nihil aliud fuisse nisi communia nuptiarum sollemnia ex communi consensu ab oriente orto et verisimile est ab Etruscis importatum. Fama est, post pugnam inter Romanos et Sabinos, raptu effectam, non Romulum solum, qui habitabat Palatinum et Caelium, regnavisse sed cum Tito Tatio, sabino rege urbis Curium qui regebat totum Capitolium, Arcem et Quirinalem.; post indutias Romulum ad caelum raptum nomen Quirinum assumpsisse, solum Titum Tatium Urbem rexisse relinquentem post mortem regnum suum Numae Pompilio nepoti, legis auctori. Ideo pugna opportuna fuerat Sabinis qui regem suum et nomen imposuerunt populo novo constituenti, qua re Romani appellati sunt Quirites et Roma Urbs Alta Quirini, contra, acrostichis S.P.Q.R. initio intellecta est ut Senatus Populus Quirites Romanus et solum postea ut Senatus Populus Que Romanus. In honorem illius dei colebantur Quirinalia die XIII a. Kal. Martias primo vere sollemnia conficientia quae appellabantur Fornacialia cum frumentum torrebatur; templum in Quirinale post incendium anno XVI a.Ch.n. restitutum est ab Augusto. Alius deus de quo supra diximus fuit Feronia quae cum Fauno aut Silvano universis arboreis consulebat sed cum Silvanus tueretur silvas pro pascuis, Feronia vigilabat pro hominum condicione silvestri ut eos ad humanitatem informaret. Sedes prima cultus eius fuit in agro capenati ubi erat lucus Feroniae et sacrarium quod coniungebat viam Salariam cum via Flaminia. Apud templum condita est urbs quam Octavianus creavit coloniam romanam quae appellabatur Julia Felix Lucus Feroniae, cum Tabernis, Scholis, Termis et Amphitheatro. Magna erat existimatio

Feroniae apud Romanos sic ut, anno CCXVII, bello punico secundo, cum Romae immineret Hannibalis periculum, Romani statuerent sacra facere ut removerent imminens calamitatem et Feroniae offerrent dona conspicua a mulieribus libertis data piis in hanc deam quae praesidebat manumissioni ut testatur inscriptio in subsellio in templo deae apud Terracinam: "Bene meriti servi, surgant liberi", quod cultus postulabat ut servi sederent in hoc subsellio deinde liberi surgerent. Non dubia est origo sabina huius divinitatis, de cuius cultu, testantur aliquae inscriptiones inventae apud Amiternum et Trebulam Mutuescam et lucus deae dicatus haud procul Reate ad confluentes Salti et Velini fluminum. Post urbem conditam, Varrone auctore, die XI ante Kal. Maias anno DCCLIII a.Ch.n., in media Italia augebat Roma imperio addens gradatim gentes finitimas non semper pacate nec nullo resistente.

### **De civitatibus moribusque Sabinorum a Roma captis**

Inter saecula IV et III a.Ch.n., Roma gessit bella varia quibus nomen adscribitur Samnitibus, contra Marsos, Aequos, Frentanos, Marrucinos et ipsos Sabinos, ad quorum finem, Roma vicit et Sabina quoque subiecta est. A tempore illo Sabina et suae gentes additae sunt magis magisque civilitati romanae et incolae urbis Curium conscriptae sunt in tribum Sergiam. Anno CCXLI a.Ch.n., creatae sunt tribus Velinia in quam adscripti sunt coloni circa Lacum Velinum et tribus Quirina pro incolis circa Cures. Sabini accepti in civitatem sine suffragio anno CCLXL a.Ch.n., nescitur, contra, quo tempore in civitatem optimo iure accepti sint. Temporibus Romae dominationis in antiquis agris sabinis institutae sunt aliquae Praefecturae ut Reate, Amiternum, Nursia et Municipia ut Cures et Trebula Mutuesca, in quibus servati sunt aliqui magistratus; Trebulae ubi collegium octo hominum, qui Octoviri appellabantur, administrabat, libertate lata, agri negotia. Multae viae restitutae sunt: vetus Salaria, maxima Sabinarum viarum, orta in antiquo, ad salem suppeditandum; Tiberina, Tiburtina, Nomentana, quae coniungebatur cum Salaria apud Eretum, et Cecilia, quae disiuncta a Salaria, ad Hadriaticum mare perveniebat. Antiqua stirps Sabina non dilapsa est, quod, ab originibus, Roma inexplicabili nexu coniuncta est cum Sabinis. Res ipsae de Urbe condita quas fama Romulo tribuit, recentium rerum scriptorum sententia, praebent summum vinculum inter Urbem Novam et gentem Sabinam, iam firme constitutam in Quirinale, Sabino prisco nomine, itaque in Capitolio, qui iungebatur cum Quirinale, et si rare, in Oppio et in Esquilino ubi inventa sunt humatorum sabina sepulcra cum operibus fictilibus illius civilitatis quae ante hominum memoriam fuit; nam illa civilitas orta circa XII saeculum a.Ch.n., et Appenninorum appellata, demonstrat agrum occupatum esse multo ante Urbem romuleam conditam. Eodem modo fabulosus Raptus Puellarum factus est, sicut est in fabulis, ludis institutis ad Consualia celebranda, in



honorem Consi, dei sine dubio sabinæ originis; temporibus nostris raptus ille reputatur cerimonia qua Tusci, Sabini et aliae gentes italicae nuptias celebrabant, quod demonstrat certe auctoritatem Sabinorum in ritu Vallis Murciae quo ii secum adferebant filias suas nubiles expectantes “raptum” a iuvenibus suis accolis cum quibus pacta facta sunt plerumque occulta. Sed dubia non desunt de “Raptu”. Primum, pristino sodalicio tribuitur apparatus ludorum qui illo tempore in Graecia habebantur; secundum, saeculo VI a.Ch.n., planities inter Capitolium, Palatinum, Caelium, inundabatur omnino rivis qui descendebant a proximis collibus et coniungebatur cum lata palude quae patebat usque ad radices Palatini quo in vadum illisa est, sicut est in fabulis, cista cum Geminis apud speluncam Lupercalis; rei publicae temporibus, palus tam ampla erat ut Varro memor sit portitoris stationis quadrantis impensa. Omnibus manifestum est, sic stantibus rebus, ludos editos non esse qui habiti sunt primum Romae anno CLXXXVI a.Ch.n. a M. Fulvio Nobiliore et anno LXXX a Sulla pro victoria de Mithridate. Igitur “bellum” quod ortum est post XIV annos inter duos populos non fuit causa falsi raptus. Sunt novissima documenta quae confirmant maximum officium Sabinorum in Roma condenda. Anno MMV p.Ch.n. ad radices Palatini, apud templum Vestae, inventum est aedificium ortum saeculo VIII a.Ch.n. quod testatur primos reges et cultum Vestae fuisse Sabinos. Praeterea apud Eretum in sepulcro Sabino saeculi VI-V a.Ch.n., apud ripam sabinam a sinistra parte Tiberis, inventus est lituus cum sceptro, signum regiae dignitatis et imperii. Quod lituus, baculum curvatum sine ullum vitium et sine nodis, strictum a sacerdotibus in sacris ad auspicandum dividendumque caelum in partes quattuor, confirmat traditionem sabinam regum sacerdotum quibus demandabatur pensum auspicandi per aves post divisam partem caeli, qui “Templum” appellatur, in qua divinitas misisset signa sua. Post Urbem conditam multae sabinæ gentes Romam migraverunt; primae fuerunt Clausii, qui post appellati sunt Claudii, unæ quae negabant Sabinos originem ab Aenea deduxisse, immo vero semper confirmaverunt suum infensum in heroem troianum animum et suam ipsorum sabinam originem. Rei publicae temporibus multi clari viri sabinæ origine insignes fuerunt inter quos memorantur Valerii, Publicolae, Claudii, Cottae. Inter clarissimas gentes sabinas fuerunt Flavii cutiliensem originem ducentes: Vespasianus et filii Titus et Domitianus qui magnas res gesserunt ad Romam celebrandam inter quas amphitheatrum Flavium, vel Colosseum. Inter doctos homines sabinos fuerunt: Terentius Varro qui functus est variis muneribus, in amicitia fuit cum Caesare et scripsit DCXX libros inter quos, Rerum Rusticarum, De lingua Latina, Satyrae Menippeae, Annales et cetera; C.Sallustius Crispus, et ille in amicitia cum Caesare et in odio cum Pompeio quem descripsit “oris probi, animo inverecundo” nobis reliquit opera magna ut Historias, De Coniuratione Catilinae, De bello Jugurtino, vir sabinæ origine non moribus disiunctis ab antiqua integritate. Multae sunt villae quas Sabini iam Romani aedificaverunt et multi insigni viri qui cupierunt morari in hac regione ut Martialis, Horatius,

Ovidius, Coriolani, Cocceii, Servius Tullius, Maecanas, Nero, Fabii, Cottae, Quintiliani, Flavii principes, Quintus Assius Ciceronis amicus et alii qui Romam et Orbem immortales fecerunt. In memorandis vetustissimis rebus gentis sabiniae non obliviscendum est de Antiquo Populo locum Vergilii, maximi poetae latini, qui, non discernens inter fabulam et historiam, describit acies quae frustra repugnaverunt e navibus egredi Aeneam, fabulosum Anchisis et Veneris filium, qui ad oras Latii appulerat post Troiam deletam:

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum  
agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,  
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens  
per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.  
una ingens Amiterna cohors priscique Quirites,  
Ereti manus omnis oliviferaeque Mutuscae;  
qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,  
qui Tetricae horrentis rupes montemque Severum  
Casperiamque colunt Forulosque et flumen Himellae,  
qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit  
Nursia, et Ortinae classes populique Latini,  
quosque secans infaustum interluit Allia nomen:  
quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus  
saevus ubi Orion hibernis conditur undis,  
vel cum sole novo densae torrentur aristae  
aut Hermi campo aut Lyciae flaventibus arvis.  
scuta sonant pulsuque pedum conterrita tellus.

**A Petro Carrozzoni scriptum**

**A Raphaelae Araneo epitomatum translatumque**

